

inclinacione capitis vel incurvatione vel prostratione totius corporis vel protensione brachiorum atque expansione manuum vel alio quolibet modo ad corporis tamen gestum pertinente venerationem exhibere. Veneramur enim multa, quæ orare¹ nec possumus nec debemus. Quæ veneratio in scripturis sacris adoratio solet appellari². Sicut illud³ est⁴: 'Adorabo ad templum sanctum tuum', quasi diceret: Inclino caput aut genua flecto ad templum tuum. Quæ adoratio venerationem tantum ut superior significat; item in⁵ Regum libro⁶, ubi Nathan propheta regem David una cum matre Salemonis adorasse legitur, non ut deum⁷ invocasse, sed hominem honore dignum veneratos esse credendum. Item in quarto eiusdem historiae libro⁸, ubi filii prophetarum Heliseum de loco, in quo Helias raptus est, revertentem, proni in terram adorasse dicuntur, venerationis gratia id eos fecisse intelligitur convenienter, et multa alia, quibus veteris instrumenti series in tantum habundat, ut ea omnia congregare velle superfluum potius, quam necessarium esse videatur. In quibus satis evidenter apparet adorationem pro veneratione sepiissime poni. Venerationem autem non solum vivis ac sentientibus⁹, ut sunt angeli et homines, verum etiam insensibilibus (!) omnique vita carentibus rebus, ut sunt templa, sanctorum sepulchra sive reliquie, non incongrue frequenter videmus¹⁰ exhiberi. Orare vero, id est precari vel invocare, non ad aliud pertinet, nisi ad id, quod vivit et potest eum, qui se orat ac deprecatur, adiuvare. Unde miror¹¹, cur in evangelio secundum Iohannem¹², ubi cum inter Samaritanam ac deum de loco adorandi sermo exortus est, non de oratione, quæ deo, sed de adoratione, quæ venerationis causa exhibetur quibuslibet rebus scriptum sit fuisse eos locutos, cum adoratio, quam iuxta domini vocem veri adoratores in spiritu et veritate ad deum facturi sunt, gestu corporis, qui venerationi adscribitur, fieri non debeat, nisi forte hoc ibi sit factum quod in multis divine scripturae locis inveniri solet, ut abusive, non proprie, pro oratione adoratio poneretur, cum tamen is, qui historiam scripsit, in verbis dominicis precationem, qua deus invocatur, non venerationem, qua alia debet honorantur¹³, vellet intelligi. Aut si hoc convenientius esse videtur, ut intelligamus ut orationem, ita etiam adorationem ad deum ideo pertinere, quia deus ubique est et qui ubique est semper utique presens est. Ac proinde cum te adorandi causa in terram prostraveris, deum qui ubique est

1) Am Rande von anderer Hand. 2) 'appellare' verb. 'ri'. 3) 'ille' verb. 'illud'. 4) Psalm. 137, 2. 5) Hinter 'in' getilgt 'terrogatio de'. 6) III. Reg. 1, 16, 23, 31. 7) 'dominum' verb. 'deum'. 8) C. 2, 15. 9) 'sedentibus' von anderer Hand verb. 'sentientibus'. 10) 'videmus' über der Zeile von anderer Hand. 11) 'mihi videtur' verb. 'miror'. 12) C. 4, 20—24. 13) Uebergeschrieben von andrer Hand 'vel honorari'.